



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 90. Decretum unionis Syrorum cum Ecclesia Romana

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

cepit haud ignarus, unico hoc fatali casu Sæcul. XV.
 omnem spem, cunctamque operam, quam A. C. 1444.
 ad Turcas ex Europæ finibus eliminan-
 dos tanto studio impenderat, in irritum
 cecidisse. Nihilominus tamen benignif-
 simus Deus optimum Patrem novo per-
 fudit gaudio, dum indefessam ejus cu-
 ram, atque immensos labores, quibus
 remotissimas quasque Nationes ad Si-
 num Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis obe-
 dientiam reuocare conatus est, prospero
 juxta ac glorioso successu coronavit.
 Quippe sub idem tempus Abdala Edessæ
 Archiepiscopus Romam venit. Hic il-
 linc, ut veræ Religionis Mysteria hauri-
 ret, missus erat ab Ignatio Patriarcha
 Syrorum, cunctarumque gentium, quæ
 Regiones Tygrim inter & Euphratem si-
 tas incolebant, necnon Græcorum, atque
 Eutychianorum erroribus infectæ erant.
 Postquam igitur ille fidei doctrinam rite
 edocebatur, Eugenius Florentinam Sy-
 nodum, quam ad Lateranense Palatium
 transtulit, Romæ congregavit, & Ses-
 sionem, quæ post dictam translationem
 prima est, die trigesimo Septembris, anno
 Pontificatus sui quarto decimo habuit.

§. XC.

*Decretum unionis Syrorum cum
 Ecclesia Romana.*

In hac igitur Sessione Eugenius evulga-
 vit

G 4

*Collect. Conc.
 Labbei tom.*

*13 p. 1222
 & seq.*

Sæcul. XV. vit Decretum, quo immortales Deo gra-
A. C. 1444. tias egit, quod post unionem Græco-
 rum, & conversionem Jacobitarum, tan-
 dem etiam Syri Ecclesiæ Romanæ de-
 nuo aggregari exoptarent, subditque, se
 nonnullos Cardinales, & Doctores Con-
 ciliî delegisse, qui cum præfato Archi-
 episcopo Abdala de erroribus illius Na-
 tionis conferrent, ab his quoque eum fu-
 isse inventum de fide, & moribus per
 omnia recte sentientem, tribus duntaxat
 exceptis Articulis.

§. XCI.

Articuli in Decreto contenti.

Concernebant illi Processionem Spiritus
 Sancti, duasque in Christo naturas
 ac totidem in illo voluntates, & opera-
 tiones, de quibus, cum plene edoctus fuisset
 Archiepiscopus, catholicam quoque in
 iis contentam veritatem cum summa de-
 missione professus est. Postea subjungit
 Decretum, quod idem Eugenius Papa sa-
 cro approbante Concilio, rectam Fidei de
 iisdem Articulis Formulam eidem Archiepi-
 scopo tradiderit declarans, Spiritum San-
 ctum ex Patre, & Filio æternaliter esse, &
 essentiam suam, suumque esse subsistens ex
 Patre simul & Filio, & ex utroque, tan-
 quam ab uno principio & unica spiratione
 procedere: Dominum Jesum Christum per-
 fectum